

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

1 M. CICERO S. D. TITIO
2 Etsi unus ex omnibus minime sum ad te consolandum accommodatus,
3 quod tantum ex tuis molestiis cepi doloris, ut consolatione
4 ipse egerem, tamen, cum longius a summi luctus acerbitate meus
5 abesset dolor quam tuus, statui nostrae necessitudinis esse
6 meaeque in te benevolentiae non tacere tanto in tuo maerore
7 tam diu, sed adhibere aliquam modicam consolationem, quae levare
8 dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset.
9 Est autem consolatio pervulgata quidem illa maxime, quam semper
10 in ore atque in animo habere debemus, homines nos ut esse meminerimus
11 ea lege natos, ut omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra,
12 neque esse recusandum quo minus ea, qua nati sumus, condicione
13 vivamus, neve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio
14 vitare possimus, eventisque aliorum memoria repetendis nihil
15 accidisse novi nobis cogitemus.
16 Neque hae neque ceterae consolationes, quae sunt a sapientissimis
17 viris usurpatae memoriaeque litteris proditae, tantum videntur
18 proficere debere, quantum status ipse nostrae civitatis et haec
19 perturbatio temporum perditorum, cum beatissimi sint qui liberos
20 non susceperunt, minus autem miseri qui his temporibus amiserunt
21 quam si eosdem bona aut denique aliqua re p. perdidissent. Quod
22 si tuum te desiderium movet, aut si tuarum rerum cogitatione
23 maeres, non facile exhauriri tibi istum dolorem posse universum
24 puto; sin illa te res cruciat, quae magis amoris est, ut eorum,
25 qui occiderunt, miserias lugeas, ut ea non dicam, quae saepissime
26 et legi et audivi, nihil mali esse in morte, ex qua si resideat
27 sensus, immortalitas illa potius quam mors ducenda sit, sin sit
28 amissus, nulla videri miseria debeat quae non sentiatur, hoc tamen
29 non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendere rei p
30 quae qui reliquerit nullo modo mihi quidem deceptus esse videatur.
31 Quid est enim iam non modo pudori, probitati, virtuti, rectis stu-
32 diis, bonis artibus, sed omnino libertati ac saluti loci?

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Erklären Sie die syntaktische Funktion des Satzes von (Z.10) **homines nos ut esse meminimus eqs.**
2. Welche Glieder werden verbunden durch
 - a) **neque** (Z.12)
 - b) **neve** (Z.13) ?
3. Bestimmen und beschreiben Sie die zu Beginn von (Z.30) **quae qui reliquerit** vorliegende Konstruktion.